




70  
XVIII









27

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
SISTENS  
NEXVM PODAGRAE  
CVM CALCULO RENVM  
ET VESICAE.

---

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
ET  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV  
P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO  
ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO  
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI  
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROF. PVBL. ORD.  
FACVLTATIS PHILOSOPHICAE H. T. DECANO  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

D. XV. MART. A. S. R. MDCC LII.  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PVBLICE DEFENDET

DAVID GOTTLIEB ZIEROLD

WRATISLAVIA - SILESIVS.

HALAE, LITTERIS CVRTIANIS.







V I R O  
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
A N D R E A E E L I A E  
B V C H N E R O

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI  
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIIS INTIMIS, MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBLICO ORDINARIO FACVLTAT. PHILOSOPH H. T. DECANO IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDI ET COMITI PALATINO CAESAREO,  
DOMINO PRAECEPTORI, PROMOTORI ET FAVTORI SVO  
SVMMA ANIMI OBSERVANTIA AETERNVM DEVENERANDO;

ITEMQVE  
V I R O  
PRAENOBILISSIMO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO  
D O M I N O  
C A R O L O W I L H E L M O  
S A C H S I O

MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO FAMIGERATISSIMO  
AC FELICISSIMO,  
AVUNCVLO SVO AD CINERES VSQVE COLENDO,



PRIMITIAS QVALESCVNOQE HAS INAVGVRALES  
IN  
SVI STVDIORVMQVE SVORVM VLTERIOREM  
COMMENDATIONEM  
EA QVA DECET ANIMI REVERENTIA CONSECRATAS  
ESSE VOLVIT  
TANTORVM VIRORVM

V I R O

CAROLO WILHELMO  
SACHSIO

DAVID, GOTTLIEB ZIEROLD,







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
SISTENS  
NEXVM PODAGRAE  
CVM CALCULO RENVM  
ET VESICAE.

---

PROOEMIUM.



Inter tot innumera, quibus corpus  
humanum, tam ratione stru-  
cturae particularis intrinsecae,  
quam corporum externorum in illud diuersa  
vi agentium, expositum est, mala, *Podagra*

A 3

&



PROOEMIUM.

& *calculus* sibi iam ab antiquissimis temporibus non vltimum locum vindicarunt; nostro autem seculo multos non infimae fortis homines affligendo, Medicos quam plurimos ad sui accuratiorem considerationem, & ad diffusio-rem a compluribus susceptam in scriptis pertractationem, impulerunt, vnde etiam isti affectus iamiam ita sunt peruestigati & enucleati, vt novum aliquid addere ferre impossibile videatur. Quum vero, his non obstantibus, singulares quaedam rationes ad praesentis Thematis electionem & specialio-rem expositionem me determinarent, nouis idcirco inuentis gloriari haud volui, sed cognitis veritatibus inhaerere, illasque studiose connectere, mihi proposui, felicem me reputaturus, si qualiscunque hic labor praesefixum suum debite attingit scopum, & secundum illum beneuole di-  
iudicatur.







§. I.



orbi ex parte sibi similes dicuntur inter se conuenire, & id, in quo conueniunt, *nexum* illorum sistit. Cum vero haec similitudo ex historia morborum petenda sit, hinc breuissimam tam *Podagrae*, quam *calculi renum* & *vesicae* historiam vt praemitam, & ex illa *nexum horum affectuum* deducam, necessarium mihi visum fuit. Aggressurus igitur ex instituto primum *historiam Podagrae*, quae est species arthritidis fixae, pedem extremum infestans, nominis considerationi, quod, origine graecum, scholae Medicorum per *capturam pedis* interpretantur, cum res sit omnibus notissima, nullo modo immorabor.

Omnis



Omnis autem articulorum a causa interna productus, & determinatam aliquam partem semper occupans dolor, *arthritidis fixa* dicitur, haecque, secundum diuersam materiae morbificae sedem, diuersas in species diuisa fuit, quibus etiam tot singula nomina imposita fuere. Vid. *Fundamenta Patholog. special. Hoffmannianae*, pag. 320.

## §. II.

Nonnulli praeteritorum seculorum Medici affectum nostrum per dolorem, a delapsu humorum ex capite, liene, hepate, ortum, definiunt; alii, quorum antesignanus est WILLISIVS, illum ab efferuescentia humorum circa articulos subsistentium deducunt. Sed sufficere eiusmodi definitiones saltem adduxisse, quum nostris temporibus diffusior illarum refutatio Lectori certissime taediosa sit futura.

## §. III.

Podagra distingui potest *a)* in *incipientem*, *β)* *perfectam*, & *γ)* *inueteratam*. *Incipiens* ex breuitate paroxysmorum & minori impetu dolorum; *inueterata* ex praesentia nodorum circa articulos & perpetua membrum mouendi impotentia, cognoscitur; *perfecta* autem illa salutatur, quae quidem paroxysmis longioribus, exquisitoribus & vehementioribus, prae incipiente, gaudet, sub qua vero nodi & impotentia  
motus,



motus, tanquam signa diagnostica inueteratae Podagrae, deficiunt, & quae in sensatione doloris fixi in pede extremo, a causa interna oborta, consistit, hancque perfectam Podagram semper intellectam volo, quando in sequentibus mihi de Podagra sermo erit.

§. IV.

In Podagra sensationem doloris fixi in pede extremo adesse, quaelibet eadem afflictorum vberime demonstrant & confirmant; illam vero causae cuidam internae suam debere originem, nemo ex caterua podagricorum negabit. Omnis autem sensatio doloris irritationem neruorum praesupponit, & cum quaelibet fere membrana fibras nerueas intertextas habeat, hinc partes articulorum membranaceas dolorem podagricum in sinu suo fouere facile liquet.

§. V.

Omnis fibra neruea, si nimium irritatur, ad contractionem praeternaturalem sollicitari solet, indeque dolorem excitat tractorium, cumque talis dolor in Podagra persenscatur, utique hinc fibrae nerueae partium articulorum membranacearum in affectu nostro debent esse nimium irritatae & ad maiorem contractionem sollicitatae. Iam vero liquor articularis, praeternaturaliter constitutus & depravatus, constituit causam

B

mate-



materialem Podagrae, qui alias in statu naturali est humor pellucidus, mucilaginoso-pinguis, singulas articulo- rum superficies lubricans. Partes enim eiusdem constitutivae sunt aquae purissimae, paucissimae salinae, copiosiores terrestres subtiliores, &, ab admixta pinguedine, oleosae. Vitiatur autem iste liquor, si glandulae, ob causam in §. sequ. exponendam, mucilaginem spissiore & crassiore fecerunt. Omnis liquor spissus paucam humidi tenuioris quantitatem continet; omnis vero calor humidum dissipat, adeoque si calor exiguam humidi quantitatem, in tali mucoso humore praesentem, dissipat, particulae solidae, circa articulationem relictae eiusque superficiei adhaerentes, eandem asperam reddunt, & successu temporis per continuam adpositionem novarum particularum auctae, in fibras nerveas articulo- rum agunt, illas premunt, irritant & ad maiorem contractionem sollicitant, hacque ratione causam immediatam Podagrae constituunt.

## §. VI.

*Sanguis spissus & dispositio haereditaria* tanquam causae coordinatae propinquiores ad Podagram concurrunt. Dispositio haereditaria consistit in debilitate partis cuiusdam corporis humani connata, tonum partium solidarum deprauante. Sanguis, qui quantiatem  
par-



partium solidarum iusto maiorem continet, *spissus* dicitur. Partes sanguinis solidae magis partim inter se cohaerent, partim quoque lateribus vasorum adhaerent, quia maiori copia punctorum contactus, prae liquidis, quibus immixtae sunt, gaudent, cumque illae insimul specificè grauiore sint fluidis, hinc sanguis *spissus*, ob abundantiam partium solidarum, & magis cohaeret, & lateribus vasorum facilius adhaeret, & grauior est sanguine naturaliter constituto. Ob modo recensitas qualitates sanguis *spissus* vi motrici cordis magis, quam sanguis tenuis, resistens, per vasa tam arteriosa, quam venosa, tardius movetur; sub tardiori autem motu partes sanguinis solidae in vasa minima lateralia facilius secedunt, inque illis stagnando, crassiores redduntur, quod tanto certius evenit, si tonus vasorum magis iam est debilitatus. Talis ergo sanguis *spissus* si per arterias ad vasa humorem articulare secermentia, per dispositionem haereditariam tono suo plus minusue destituta, protruditur, eadem partim stagnando obstruit, partim vi sanguinis a tergo succedentis partes suas specificè grauiore, quae ob intimiorem cohaesionem iam iam crassiores sunt, per orificia horum vasculorum secermentium nimis patula in articulum deponit, indeque hac ratione mucilago *spissior* & *crassior* redditur.





## §. VII.

Dum iam ad causas remotas & 'occasionales', ordine sic iubente, progredior, antea quoddam simul occurrens merito remouendum est obstaculum. Dolorem podagricum in §. V. a stagnatione liquoris articularis crassi & viscidioris deduxi, cum tamen complures, satis alioquin celebres, nostri etiam aevi Medici materialem Podagrae causam in tartareis potius partibus, circa articulos collectis, quaerendam esse doceant. Sed licebit mihi, venia tantorum virorum, a latiori huius sententiae significatu quadantenus recedere. Liquorem articulare ex mucilagine & pinguedine constare §. V. asserui, & materialem Podagrae causam in mucilagine vitiata consistere iudicaui. In statu autem praeternaturali aqueum huius mucilaginis principium dissipatur, remanente parte solida, quae a causa, §. V. exposita, crassior reddita fuit; ergo etiam partes salinae & terrestres in illa mucilagine crassiores erunt. Iam autem tartarea materia ex oleo, sale acido, & copiosa terra composita est (per princip. chym.), atque in ipso liquore articulari pariter quoque oleum & terra deprehenduntur, salis autem cuiusdam praesentiam, licet id ad acidorum profapiam referre adhuc dubitem, sapor huius mucilaginis arguit. Si quis igitur residuam istam liquoris articularis partem solidam, ob  
 analo-



analogiam cum tartaro, tali nomine insignire voluerit, id mihi perinde erit.

§. VIII.

Inter causas ergo occasionales Podagrae. plethora primum tenet locum, quoniam nimia talis sanguinis quantitas, partim vasa extendendo elaterem illorum debilitat, partim ob grauitatem maiorem tardius per vasa corporis nostri mouetur & progreditur, hacque ex ratione facile stagnationes oboriuntur & ipse sanguis spissior redditur; omne autem quod sanguinem spissum, tanquam causam Podagrae proximam, gignit, id insimul causam eiusdem occasionalem constituit. Exinde etiam cognoscitur, cur haemorrhagiae, tam spontaneae, quam artificiales, tantam tum ad praeseruationem, tum mitigationem huius dolorifici affectus, vim habeant, dum nimirum quantitatem sanguinis abundantem imminuendo, naturalem, inter actionem fluidorum in solida & reactionem solidorum in fluida, proportionem, atque insimul eo ipso circulum sanguinis magis aequalem & liberum restituunt, cuius ope spissitudo huius humoris praecauetur, aut, si iam praesens fuerit, admixtione nouae dilutioris lymphae denuo corrigitur, motuque auctiori successiue iterum tollitur, unde dein mitigata vel sublata causa, spissitudine nempe massae sanguineae, ipse etiam effectus vt mitigetur,



vel tollatur, necesse erit. Ex modo dictis pariter perspicuum erit, cur homines temperamenti sanguinei ad affectum hunc prae reliquis magis inclinent, & cur certae saltem aetati magis familiaris sit. Sanguinei enim in corpore spongioso & laxiori magnam sanguinis copiam ordinarie continent, sique demum corporis incrementum successiue cessat, tunc illa quantitas abundans magis augetur, quae dein in corpore laxo & spongioso, cuius vasa, vi texturae suae, facile maiorem admittunt extensionem, complura talia satis grauia inducit damna.

## §. IX.

Plethoram in ordine causarum occasionalium *frigus* proxime excipit, vtpote quod ad maiorem humorum spissitudinem inducendam multum omnino contribuit. Huic etiam idcirco tribuendum erit, quod Podagra certos suos seruet recursus periodicos, & tam vernali & autumnali aequinoctio, quam circa hybernum solstitium, communissime tyrannidem suam exercere soleat, ob grauiiores & frequentiores his temporibus plerumque euenientes turbationes transpirationis, unde massa sanguinea magis magisque a cohibitis impuritatibus inquinatur, & sub aëris constitutione frigido-humida fibrae corporis nostri magis relaxantur, humo-



humorumque sic progressus languidior redditur, sub quo demum facile noui resuscitantur podagrici insultus. Hoc ex fonte etiam *porulentorum frigidorum & acidorum abusus* pariter ad hoc malum ingenerandum & accelerandum suum confert symbolum, dum humores inde ordinarie magis coagulantur & inspissantur, quam quidem diluuntur.

§. X.

*Ciborum minus congruorum nimia ingurgitatione* digestionem saepius grauitur turbari, ex physiologicis iam iam constat; digestionem autem vitiata, chylus magis crudus & viscidus elaboratur, qui, dum sanguini postmodum adfunditur, eundem particulis crassioribus replet & spissum reddit, & ob id in classe causarum Podagrae occasionalium locum inuenit. *Vita sedentaria*, itemque *meditationes profundiores & animi perturbata* grauiora frequentius admissa, tum ad maiorem humorum spissitudinem viscidam ingenerandam, tum etiam ad consumptionem laudabilium & vtilium humorum, indeque facile emergentem dyscrasiam, multum omnino conferunt. Egregie hinc monet Excellentiss. Dn. de HAHN, in *Historia Podagrae Eminentiſſ. Cardinal. a Sinzendorff*, quae in *Appendice Volum. IX. Actor. phys. med. Nat. Cur.* proſtat, pag. 25. nullam plane,



plane, tam in praeseruanda, quam curanda Podagra, expectandam esse vtilitatem a quacunque diaeta & a quocunque pharmaco, si primum in dissoluenda pituita remedium in potestate nostra non est, labor scilicet & muscularis motus, facileque praeuideri posse, quod absque eius adminiculo irritus futurus sit quilibet conatus.

## §. XI.

Symptoma est morbus secundarius, primario adhuc vigente superueniens. Materia podagrica ligamenta pedis, ex fibris nerueis constantia, premendo extendit; hae fibrae, tanquam partes elasticae, huius extensionis impatientes, sese iterum contrahunt, cumque omnis contractio fibrarum neruearum *spasmus* dicatur, hinc contractio fibrarum partium pedis membranosarum spasmus in pede particularem gignit. Spasmus autem talis particularis, per neruos pedis toti reliquo systemati neruorum communicatus, facile fit universalis. Iam vero febris duobus ordinarie absoluitur motibus vniuersalibus, sese semper alternatiue excipientibus, vno nimirum humores a peripheria ad centrum retroagente, hincque magis morbofo spasmodico, altero dein citius vel tardius priori illi succedente, humores ab interioribus partibus & visceribus ad vniuersam corporis superficiem validius vrgente, hinc-



hincque, ob subsequentes ut plurimum peccantis materiae excretiones, magis salutari. Quo magis igitur particulae vigent spasmi & quo grauius exacerbantur, eo facilius vniuersales hosce simul concitant motus, adeoque mirandum haud est, quod vehementiores cruciatus podagrici plerumque febre plus minusve typica & exquisita insimul sint stipati.

§. XII.

*Animi pathemata* diuersos in corpore nostro motus producere, nemo vnquam negare ausus fuit; inter illa autem nullum podagricos tumultus & magis multiplicat, & auget, quam *vehemens ira & terror*. Ira commotiones sanguinis orgasmicas versus caput inprimis dirigit, & in extremitatibus corporis spasmos producit; terror autem spiracula cutis constringit, & sanguinem ad viscera interiora pellens, corpori horrorem incutit, & vniuersalem in eius peripheria spasnum excitat, simulque sanguinis liberum & ordinatum progressum valdopere turbat, vnde liquido adparet, quod animi quoque pathemata, maxime iracunda & terrificata, causis Podagram tam producentibus, quam exacerbantibus, sint adnumeranda.

§. XIII.

Expositis ergo iis, quae ad Podagram spectant, transeundum nunc quoque erit ad generalem considerationem

C

ratio-



rationem concrementorū calculosorum, in renibus aequē ac vesicā vrinaria coalitorū. Constat autem iam ex anatomicis, quod renes sint viscera vasculoso-tubulosa, vrinam a sanguine fecerentia. Vesica vero vrinaria est pars membranacea caua, pyriformis, in pelui sita, ad vrinam secretam recipiendam & excernendam destinata. Calculus renū est corpus durum fabulosum, ex parte sanguinis solida in substantia renū praeternaturaliter concretum. Calculus autem vesicae speciatim sumtus, est corpus durum in ipsa vesica ex partibus urinae specificē grauioribus compactum.

#### §. XIV.

Omnes affectus calculosi in scholis Medicorum morbis haereditariis adnumerantur, vnde in calculo, & renū, & vesicae, dispositio haereditaria inter palmarias causas referenda erit. Sanguis spissus (§. VI.) ad stagnationem quam maxime pronus est; si igitur talis sanguis in vasculis arteriosis renū, ex vitio connato iam iam debiliorum, tardius ac difficiliter progreditur, tunc per laxiores simul tubulos renales unacum fero complures terreae, viscidae & mucidae partes ad pelvim transeunt, ibidem remanent ac subsistunt, inque granula fabulosa coeunt, quae dein successu temporis, dum ex sanguine arterioso semper similes nouae adpo-



adponuntur particulae, in corpus durum concrefcunt; unde patet, quod causa materialis calculi renum in sanguine spisso, mucoso & viscido quaerenda fit. Calculus in vesica generatus, unam eandemque causam proximam cum renum calculo agnoscit. Si enim sanguis spissus est, tunc etiam serum, tanquam pars illius, falsum magis & viscidum erit, quod sub forma urinae, facta prius in renibus secretionem, ad vesicam transmittitur, ibique ad ultimam vsque excretionem asseruatur. Quando igitur urina, ex tali sero constans, multis particulis solidis onerata est, tunc hae particulae, ob specificam maiorem grauitatem, fundum vesicae, sub quiete, successiue petunt, & accedente intimiore cohaesione, per salino-tartaream huius liquoris acrimoniam facile promouenda, in illud tandem corpus magis durum & compactum, quod calculum vesicae appellamus, coeunt.

§. XV.

Inter damna, a plethora in corpus nostrum redundantia, merito affectus calculosi etiam sunt referendi, quia plethora (per §. VIII.) facile spissitudinem sanguinis inducit, haecque (iuxta §. anteced.) causam calculi materialem constituit. Ob id etiam talibus afflictionibus frequentius obnoxia redduntur subiecta temperamenti sanguinei, imprimis si mensum vel hae-

oobr

C 2

morr-



morrhoidum inordinatus successus, vel suppressio, aut praematura cessatio, simul concurrunt, & artificiales sanguinis imminutiones negliguntur, quoniam tunc, ob facile euenientem regurgitationem & copiosiore affluxum sanguinis, versus renes inprimis, stagnationes eiusdem circa haec organa contingunt, cum subsequente vasorum dilatatione & crassiorum partium cum sero intra peluim secessione & collectione.

## §. XVI.

Cibi consistentiae durioris, dyspepti, fumo indurati, nimiumque saliti, digestionem admodum refragantur, chylumque crudum magis & crassum praebent, qui dein ad sanguinis massam delatus, eandem pariter inquinat & spissiore reddit, talesque in eadem impuritates accumulatur, ex quibus demum ad renes vel vesicam delatis, ibique obhaerescunt, prima calculorum rudimenta compinguntur. Inde etiam est, quod infantes, a parentibus praesertim calculosis prognati, si vel lacte crassiori, mucido & impuro nutriuntur, vel nimis praemature cibis incongruis & durioribus obruuntur, saepissime in primo statim aetatis flore cruciatibus calculosis miserrime affliguntur, quoniam impuritates inde relictae, ob virium defectum partiumque imbecillitatem, nec debite resolui, nec tempestive & conuenienter remoueri possunt, adeo-



adeoque ob visciditatem, ad quam praecipue inclinant, in vesica maxime; in arenosam talem substantiam facile compinguntur.

§. XVII.

Potulenta spirituosa, acida, itemque frigida copiosius hausta, proventui calculorum tum in renibus, tum vesica, quam maxime favent, quoniam, aucto inde sanguinis ad renes affluxu, vasa magis extenduntur, eoque ipso simul debilitantur, urinae secretio acceleratur, dumque maiori in copia in vesicam illa dimittitur, huius quoque naturale robur successivè decrescit. Exemplo suo hoc confirmant strenui cerevisiarum crassiorum, vini sic dicti adusti, vinorumque acidorum potatores, quibus in profectiori aetate affectus calculosi gravissimas saepe molestias creant. Huc etiam pertinet urinae nimis diuturna retentio, ex intempestiva verecundia forsitan facta, sub qua partes crassiores a reliquo fluido facile secedunt, sicque dein, accedentibus aliis ex modo recensitis causis, calculi in primis vesicae prima fundamenta ponunt.

§. XVIII.

Cum debilitas renum & vesicae particularis, per haereditariam dispositionem connata (§. XIV.), inter causas antecedentes propinquiores calculi relata sit,



vtique hinc etiam omne id, quod partium solidarum totius corporis vires diminuit, causis calculi remotioribus adnumerandum erit. Quid autem magis solida corporis nostri tono suo naturali priuat, quam fluidi neruei iactura? Inde saepius contingit, vt ex Veneris abusu, sub quo insimul maior humorum affluxus versus vasa renalia concitatur, itemque post diuturnam gonorrhoeam aut fluorem album, si inprimis incongrua methodo tractati fuerint hi affectus, facile dispositio ad calculum, tam renum, quam vesicae, oboriatur, id quod etiam ex tristitia & moerore diuturno, ceteris paribus, evenire solet, inprimis quoniam haecce animi pathemata, praeter virium imbecillitatem, quam circa solidas partes inferunt, etiam humorum progressum tardiozem reddunt, eoque ipso maiorem simul eorundem spissitudinem accelerant.

## §. XIX.

Frigus abdomini & lumbis improvide admissum, duplici modo materiae fabulosaе concretionem adiuuare potest, dum partim calorem naturalem sanguinis infringit, simulque illum ad spissitudinem disponit & hinc progressum eius difficiliorem reddit, partim vero spasmodicas stricturas in hisce regionibus concitat, quae facile ad renes aut vesicam vsque sese extendunt, & tam ad stagnationes sanguinis, quam ad diuturnio-

res



res retentiones crassiorum ibidem depositarum materi-  
arum occasionem praebent.

§. XX.

Calculus renum quamdiu intra pelvim quietus  
haeret, nullos plerumque infert cruciatus; quamprimum  
autem a causis §. XXII. recensendis e pristina  
sua sede pellitur, & iter suum per canales istos mem-  
branaceos, quos *ureteres* vocamus, molitur, tunc aut  
mole sua illos extendendo, aut asperitatibus acuminatis  
eosdem irritando, dolores acerbissimos excitat.  
Spasmi autem & dolores acerbissimo quasi vinculo in-  
ter se iuncti sunt, & vehementia spasmodum ex impe-  
tu & grauitate dolorum diiudicari potest. Calculi ergo  
renum, dum dolores acutissimos excitant, necessa-  
rio insignes particulares vtererum spasmos provocare  
debent, qui dein per plexus nervorum renales vterius  
propagantur, & saepius tandem vniuersales spasmos,  
imo veros convulsiuos motus, post se trahunt.

§. XXI.

Calculus vesicae quandoque ex eadem ratione  
non adeo exquisitos dolores, praesentiam sui arguen-  
tes, suscitatur, si nimirum membranae interiori vesicae  
firmius quasi agglutinator & annexus fuerit, quod ta-  
men rarius contingit; si autem libere intra hanc par-  
tem detinetur, tunc pondere, angulis acuminatis, &  
allisio-



allifione, maxime ad sphincterem & collum eiusdem, pariter non solum acutissimos infert dolores, sed &, praeter particulares istas spasticas stricturas, simili modo, sicuti renum calculus, universalium spasmorum autor euadit.

## §. XXII.

Causae, a quibus calculi exagitantur & ad exitum vrgentur, sunt omnes motus vehementioris species, imprimis autem equitatio, saltatio, vectura rudior & vociferatio, vtpote per quas viscera abdominis grauius concutiuntur, atque simul calculi e pelui renum ad ureteres, vel e fundo vesicae ad eius collum & vrethram, protruduntur. Pertinet etiam huc vsus frequentior diureticorum & aphrodisiacorum, quae stimulando & irritando organa lotii se- & excretioni destinata, spasmodicas in iisdem stricturas excitant, calculos similiter ad exitum vrgentes, quo nomine idcirco etiam huc referuntur illa inprimis animi pathemata, quae spasmos corporis vniuersales excitare valent, qualia sunt ira & terror, quorumque agendi modus idem prorsus est cum modo allegatis remediis.

## §. XXIII.

Praemissis nunc iis, quae ex historia vtriusque affectus ad thematis praesentis expositionem requiruntur, ipsam iam similitudinem ex comparatione attributo



butorum haecenus recensitorum deducere aggredior. Causam materialem Podagrae in partem liquoris articularis solidam crassiorem, tartaro analogam (§. VII.), conieci. Calculum renum ex partibus sanguinis spissi solidis, & calculum vesicae ex urinae partibus solidis coagmentatum esse (§. XIII.) asserui. Pars solida tam liquoris articularis, quam vrinae, particulis sanguinis solidis (per §. V. & XIV.) originem suam debet. Causa ergo materialis, & in Podagra, & in calculo renum & vesicae, in parte sanguinis solida constituenda erit. Proinde etiam Podagra inveterata & nodosa, ipsaque chiragra eiusdem conditionis, saepius circa articulationes manuum & pedum concretiones tophaeae, ex materia terrestri calcarea constantes, simul exhibent, quae sola friabili magis consistentia a renum & vesicae calculis differunt, utpote quorum substantiam, sub condensatione successiva, saltem maior copia salium, tartareae maxime indolis, ingreditur, unde dein compactiores & duriores ordinarie redduntur.

§. XXIV.

Sedes materiae morbificae, tam in calculo renum & vesicae, quam in Podagra, vnius eiusdemque texturae est. Nam in Podagra constituunt eandem partes membranosae, ad articulationes pedum pertinentes

D

(§. V.)



(§. V.); in calculo renum vero tubulosa pelvis substantia, & in calculo vesicae ipsa haec pars, ex diuersis membranis composita (§. XIV.), materiam istam, quae causa tantorum dolorum euadit, continent. Hae partes, summe sensibiles (§. IV. XX. & XXI.), si grauius a tali materia adficiuntur & irritantur, tunc spasmi exinde exsurgunt, qui acutissimos dolores, tam in Podagra (§. XX.), quam in calculo renum & vesicae (§. XX.), prouocant, & in utroque statu morbofo ab iisdem causis, maxime vero ab animi pathematibus (§. XII. & XXII.), grauius ordinarie exacerbantur.

§. XXV.

Subiecta, quae prae reliquis Podagrae & calculo renum ac vesicae obnoxia deprehenduntur, sunt imprimis homines temperamenti sanguinei, & speciatim tales, in quibus consuetae antea salutare haemorrhagiae grauius turbatae, imminutae, aut plane suppressae sunt (§. VIII.). Duae porro causae ad conficiendam causam proximam Podagrae (§. VI.), calculi renum & vesicae (§. XIV.), concurrunt, quarum vna & primaria solidorum, altera autem fluidorum corporis nostri deprauationem & inquinationem producit. Vitium solidorum primario in dispositione haereditaria latere, per experientiam confirmatur, cum affectus nostri a parentibus, iisdem iam afflictis, in liberos saepissime a  
prima



prima statim natiuitate propagentur. Vix tamen sola semper haec dispositio connata, quoad solidorum imbecillitatem, sufficit ad inferendos & producendos tales affectus, nisi etiam fluidorum vitium simul accedat, quod potissimum ex variis in diaeta & regimine commissis erroribus originem ducit, & plurimum omnino ad accelerandum horum morborum accessum contribuit. Vitium autem istud maxime in spissitudine fluidorum consistit, & hinc omnes illae causae, quae sanguinis naturalem crasin in spissioremutant, veluti sunt plethora (§. VIII. & XV.), frigus (§. IX. & XIX.), potulenta acida, austera & spirituosa (§. IX. & XVII.), cibi dyspepti, fumo indurati, nimiumque saliti (§. X. & XVI.), inter occasionales causas Podagrae, & calculi renum ac vesicae referri merentur.

§. XXVI.

Podagra ergo & calculus renum & vesicae tum ratione subiectorum & causarum, tam proximarum, quam occasionalium (§. XXV.), tum respectu partis affectae & symptomatum (§. XXIV.), tum intuitu causae materialis (§. XXIII.), morbi sibi similes sunt, adeoque conueniunt inter se, & hinc quoque nexum habent.



## §. XXVII.

Nexus iste per similitudinem methodi medendi ulterius confirmatur, siquidem uterque affectus doloris mitigationem, materiae peccantis per vias naturae commodas remotionem, sanguinis spissi resolutionem, & partium adflictarum roborationem postulat. In utroque etiam affectu aequalia ad praeservationem remedia requiruntur, inter quae tamen sanguinis imminutio artificialis, & motus corporis conueniens, virtute sua omnia alia, ex fonte diaetetico deprompta, superant auxilia.

## §. XXVIII.

Mutatio sedis materiae morbificae a Medicis *metastaseos* nomine insigniri solet, & in ista metastasi vna eademque iam praesens materia morbifica, sine mutatione partium eius constitutarum, manet; ob id etiam ex toto morborum agmine illi morbi non facile in alios immutantur vel degenerant, quorum eausae materiales admodum diuersae & inter se distinctae sunt; quo magis autem harum causarum respectu morbi inter se conueniunt, eo frequentius etiam illorum observantur metastases. Podagram autem in calculosos affectus, & hos iterum in Podagram, & frequentissime, & facillime, transire, multorum celeberrimorum Medicorum, ex multiplici reiteratque eorum experientia de-



desumpta testantur suffragia, vt plane de eo dubitare haud liceat.

§. XXIX.

Hancece autem metastasin duabus potissimum ex causis fieri arbitror, primo, quia non solum podagrici, sed & calculosi, aliquali atonia solidorum generali laborant, adeoque etiam ipsorum renes & vesica per se imbecilliores sunt; secundo, quia spasmi vniuersales, tam Podagrae, quam calculi renum & vesicae, perpetui quasi comites sunt.

§. XXX.

Transitus & commutatio affectuum nostrorum diuerso modo promoueri potest: Podagrici enim si sub paroxysmo terrore grauiori percelluntur, saepe exinde calculosas passiones incurrunt, dum materia podagrica, ob spasmus maiorem vniuersalem in peripheria corporis concitatum, cum sanguine venoso ad interiora regurgitat, & ad renes & vesicam, vtpote viscera pedibus magis vicina & prae reliquis debiliora, facile descendit in illisque dein subsistit. Calculosi autem e contrario podagricis doloribus obnoxii redduntur, si, pedes aëri nimis frigido inconsultius exponendo, transpirationem insensibilem cohibent, & imprimis sudorem illum intra digitos pedum promanan-



tem particularem, reprimunt, eoque ipso ad stagnationem feri impuri in tenerrimis membranarum articularium vasculis ansam praebent.

## §. XXXI.

Nihil autem singulari huic metastasi magis fauet, quam graviores quidam errores in methodo mendendi commissi. Calculosi enim quando pediluvii calidis pedes, vigentibus dolorum internorum paroxysmis, frequentius immittunt, maiorem tunc humorum ad pedes affluxum excitando, tonumque illorum debilitando, insultus podagricos sibi ipsis non raro accersunt. Ipsi illi calculosi etiam per validiores & saepius reiteratas pedum friciones, pariter quandoque morbum huncce articulare proritant. Podagrici autem, si vel durantibus paroxysmis, vel ante illorum inuasionem, praeservationis gratia, diuretica efficaciora assumendo, humores maiori in copia versus renes ducunt, aut linimentis spirituosis, balneis frigidulis, vel aliis topicis repellentibus inconsiderate vtuntur, praeter alia maxime fontica confectaria, etiam dispositionem ad calculosas tales concreciones indeque evenientes cruciatus, sibi conciliant.

## §. XXXII.

Multae quidem adhuc, metastasi tali affectuum nostrorum faventes illamque adiuvantes, recensendae forent



forent causae; sed pro scopo illo, quem mihi proposui, modo adductae sufficere possunt, pro demonstrando nexu & convenientia podagricorum & calculosorum affectuum. Coronidem igitur nunc praesenti imponere lubet disquisitioni, benevolum Lectorem simul rogando, ut veniam indulgeat primis hisce conatibus, benigneque suppleat, sicubi forsitan ingenium meum defecisse intellexerit.

T A N T V M.

S. D. G.



Glück



**G**lück zu! Geliebter Freund, da Du nach Tag und  
Stunden,

Nach Arbeit, Müh und Fleiß, erwünschten Port ge-  
funden:

Hygea reichet Dir den Crank der Ehre dar,

Indem Dein ganzer Sinn nach edler Tugend war.

Nimm ihn vor Deinen Fleiß, und trachte auf der Erden  
Durch Sanftmuth angenehm, durch Klugheit groß zu  
werden;

Und ruft die Fama aus, Dein Glück vermehre sich,

So sieh die Zeilen an, und dencke auch an mich.

Mit diesen wenigen Worten wolte sich dem  
Herren DOCTORANDO zu aller Ge-  
wogenheit empfehlen,

**Julius Johann Mollweide,**

MEDICINAE CANDIDATUS  
OPPONENS.



\*~\*~\*

**E**in Arzt, wenn er den Schmerz, bey Fiebern, Sicht und  
Stein,

Geschick zu tilgen weiß, wird als ein Gott erhoben,  
Man bittet und verspricht, man wolle danckbar seyn  
Und den bezeigten Fleiß vergelten, rühmen, loben;  
Allein, kaum ist die Noth und kaum der Schmerz vorbei,  
So macht der Undanck schon sich vom Versprechen frey.

**D**er, so vor kurzer Zeit, ein Gott, ein Engel hieß,  
Wird jetzt kaum angesehen, da er nach Gelde fraget;  
Und dem man in der Angst den größten Danck verhieß,  
Der wird, als ungerecht, gehaßt und angeklaget;  
An statt verdienten Lohns, schmäht man und lästert ihn,  
Und will ihm alles das, was er verdient, entziehn.

**D**ir, werthgeschätzter Freund, ist solches wohl be-  
kant,

Allein es schreckt Dich nicht, Du folgst den weisen Lehren  
Die uns die Klugheit giebt, und wehlt den schweren Stand,  
Den nur Vernünftige, nicht aber Thoren, ehren.  
Wohl; folge dem Beruf, verschreibe Arzeneey,  
Und wisse, daß ein Arzt bey Kennern schätzbar sey.



—\*—\*—\*—  
Nun dann, Geliebter Freund, da Dir Hygäens  
Hand

Fest Ring und Doctor-Hut, wie Du verdienst, giebet:

So glaube, daß mein Herz, wie Dir schon längst bekant,  
Aus unverfälschter Treu, Dich stets verehrt und liebet,

So gehe denn vergnügt mit Ehre Ruhm und Glück,  
Nach überstandner Müh, ins Vaterland zurück.

Hiermit empfiehlt sich des Hochgeehrten Herrn  
DOCTORANDI ferneren Aufrichtigkeit

und unveränderten Freundschaft

Desselben

Ergebenster Freund und Diener,

Carl Gottlob Stumpff,

OPPONENS.



Docte



❖❖❖

**D**octe ZIEROLD! Ami que je considère,  
D'une façon toute particulière,  
Agrée que dans ce jour  
Je fasse eclater ma joye & mon amour.  
Savoure á longs traits les douceurs, de la Science,  
Vois de ton application la digne recompense,  
Voici enfin le jour, qu'un fameux Professeur  
Va orner ton CHEF du BONNET de DOCTEUR.  
Que ce jour est heureux qu' il est digne d'envie,  
Mon coeur en tressaillit, mon ame en est ravie,  
Et si ta separation vient à me desoler,  
J'aurai dans TON BONHEUR de quoi me con-  
soler.

Agrééz

**MONSIEUR LE DOCTEUR**

& cher Ami, ce peu de lignes, pour une preuve irrevocable de l'estime, de l'amitié & du respect, avec lequel je serai à jamais

Vôtre tres-humble tres obéissant &  
tres-fidele  
Serviteur & Ami

**JEAN GEOFFROY NIXDORF,**  
de Janer en Silesie, Etudiant  
en Ste Theol.

❖❖❖  
Wd



❖❖❖

**W**o wahrer Tugend Grund des Glückes Staffeln baut,  
 Wo man, nebst vieler Müh, auf Wissenschaften schaut,  
 Wo der geübte Fleiß nach wahrer Weisheit ringet,  
 Da siegt die Hoffnung mit, des Wunsches Ziel gelinget,  
 Da zeigt Hygäa sich, und den sie würdig schätzt,  
 Wenn sie den Doctor-Hut auf seine Scheitel setzt.  
 Dir wird, gelehrter Freund! für enfriges Bestreben  
 Und nach verdienten Lohn ein solcher Preis gegeben.  
 Ich könnte zwar mit Recht Dein Glück mehr erhöhn:  
 Allein ich schmeichle nicht bei Deinen Wohlergehn,  
 Mein Wunsch geht blos darauf: daß Du im Wohlfeyn  
 steigest,  
 Und auch der Nachwelt noch des Fleißes Früchte zeigest.

Hiermit suchte sich seinem Hochgeehrten Freunde,  
 dem Herrn DOCTOR, zu geneigten Andencken  
 zu empfehlen und seine fernere Wohlgez  
 wogenheit anzubitten,

Desselben

aufrichtiger Freund und Diener,

Johann Christoph Hüttig,

von Görlitz aus der Ober-Laufnitz,

D. H. G. B.













01 A 6576

ULB Halle 3  
002 931 664



Sb.

TA00











DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
SISTENS  
**NEXVM PODAGRAE  
CVM CALCULO RENVM  
ET VESICAE.**

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
ET  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO  
ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI  
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROF. PVBL. ORD.  
FACVLTATIS PHILOSOPHICAE H. T. DECANO  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,  
D. XV. MART. A. S. R. MDCCCLII.  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PVBLICE DEFENDET  
**DAVID GOTTLIEB ZIEROLD**  
VRATISLAVIA · SILESIVS.

✽—————✽  
HALAE, LITTERIS CVRTIANIS.

